

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica II. post epiphaniam

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

bus suis subditus fuit. Hoc est, operam suam in re familiari, ubicunque potuit, iis fideliter præstitit. Imprimis verò Patri suo putativo diligenter inserviisse eum, consentaneum est, quia non modò à conterraneis suis filius fabri, Matth. 3. v. 55. sed & faber appellatur. Marc. 6. v. 3.

Ita adhuc hodie laudabile est, si liberi labori se dedant: ita enim in maturâ ætate honestè se alere possunt: Ubi contra multam malitiam docet otiositas, Sir. 33. v. 29. & egestatem & pauperiem parit, Prov. 6. v. 11.

Dirigat nos DEUS in viis rectis,
Amen!

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM,

Evangelium Joh. 2. v. 1. -- 11.

EXORDIUM.

Postquam Deus Opt. Max. Aaroni & filiis ejus certum salarium constituerat, quid de Sacrificiis, Levandis atque Anathemate habere deberent, tandem ita concludit: Hoc pactum salis est æternum coràm Domino, Num. 18. v. 19. sic & de David memoratur, quod Deus ipsi & filiis ejus, Regnum super Israel dederit, in pactum salis, 2. Chron. 13. v. 5.

Hoc peculiare genus loquendi est, & adhibetur de ejusmodi pacto, quod nunquam desitutum: sed semper in vigore suo incorruptè conservandum est. Quemadmodum enim sal hæc virtute præditus est, ut carnes sine putredine conservet; Ita Deus hoc ipso Aaronem & Davidem certiore redere voluit, quod omnia, quæ illis promiserit, sanctè & incorruptè servaturus esset. Dona enim DEI

sunt *ἀμείωτα*, Roman. 11. vers. 29. Quando pactum conjugale spectamus, quod inter maritum & uxorem contrahitur, & per manum Ecclesiæ ministri confirmatur, illud non absurdè pactum salis vocari potest. Amicus enim & sodalis in tempore convenientes, & super utrosque mulier cum viro, Sir. 41. v. 23. hi per vitam suâ cohabitare, & multa modia salis comedere tenentur in prosperis & adversis, nil nisi morte ipsos tandem dirimente, Matth. 19. v. 6.

Sicut igitur sal acredine pollet, & tamen cibos sapos reddidit, carnemque à putredine conservat: Ita pii conjuges in hoc salis pacto ita cohabitare debent, ut amorem nunquam corrumpi, sive putrescere sinant: sed sale gratiæ & modestiæ verba & opera sua semper condiant, Col. 4. vers. 6. Ita ut viri secundum scientiam coha-

cohabitent uxoribus: uxores vero debita reverentia viris occurrant, sicut Sara obediebat Abrahamæ, Dominum eum vocans, 1. Petr. 3. v. 6.

Hoc si ita sit, Deus quoque fœdus suum servare vult, quod cum iis pepigit. Et si enim sal nunquam deficiat, siquidem conjuges pii tribulationem carnis habebunt, 1. Cor. 7. v. 28. attamen Deus omnia in bonum finem dirigit tandem sicut Paulus dicit, Rom. 8. v. 28.

Exemplum consolatione plenum proponitur in prælecta Pericope, ubi Christus ipse in nuptiis Cananæis præsentia sua comparet, & contestatur, falis pactum inter Neo-Nymphos contractum, Deo gratum & acceptum esse. Et sicut tum, ubi vinum defecit, aquæ imperavit, ut in vinum commutata fuerit: Ita hoc ipso innuere voluit, se Christianos conjuges non deseriturum, sed aquam tribulationis, licet usque ad animam penetret, Psal. 69, 2. justo tempore in vinum solatii jucundissimum transmutaturum esse: ut post tempestatem tranquillum fiat, & post lachrymationem & fletum exultatio infundatur, Tob. 3. vers. 23.

Videbimus nunc ex Evangelio

I. Triplicem Querelam.

II. Triplicem Medelam.

III. Triplicem Cautelam.

II.

Exegetis.

Venerandi Veteres dicere consueverunt, tria esse, quæ hominem post beatificam Dei cognitionem felicem constituent: Primum, bene nasci: secundum, bene nubere, & tertium, bene mori. Mag-

nam enim profecto gloria est, si vere de aliquo dicere possis, ut Raguel de Tobia: Boni & optimi viri filius es, Tob. 7. v. 7. Nec minus verum est, quod Siracides ait: Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex, Sirac. 26. v. 1. Et mors beata ad perfectum bonum deducit. Beati mortui, qui in Domino moriuntur, à modo Apoc. 14. v. 13.

Hodiernum Evangelium speculum proponit nobis, in quo cernimus quomodo feliciter conjugium inire possimus.

Ad Querelam pertinet,

I. Conjugii odium, quod Diabolus adversus conjugium semper exeruit. Et si enim divina ordinatio est, quæ jure reprehendi nequit: attamen adversarius hic omnem movet lapidem, quomodo Statui huic labeculam adspergat. Id fecit

1. Oblique. Sic post ipsum lapsum primo Parenti Adamo inspiravit, ut omnem culpam peccati in mulierem devolveret, quod & fecit, Gen. 3. v. 13.

Sic Lamech ad *πολυγαμίαν* introducendam persuavit, Gen. 4. v. 19.

Quod & factum est, ubi homines ante diluvium eo deduxit, ut in conjugii contumeliam acceperint sibi uxores ex omnibus, quas elegerant, intellige ex mera libidine, contra jus & honestatem, Gen. 6. vers. 2.

Ipsæ quoque est, qui Apostolis, postquam Servator ipsis de divortio concionatus, non posse idem locum habere, nisi interveniente vel adulterio vel morte, has cogitationes inspiravit, ut dixerint: Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Matth. 19. v. 10.

Factum tandem est, & adhuc fit, quando hostis hic malignus homines eò adigit, ut in inimicitia, odio, invidentia, & Zelotypia vivant, & alter alteri miseriam suam exprobrat, Tob. 2. v. ult. Ubi enim Zelus & contentio, ibi confusio, *καὶ πᾶν φῶλον παράγμα*, Jac. 3. v. 16.

2. *Directe*, semel per Romanum Antichristum, de quo Paulus dudum prædixit: quod prohibiturus sit nubere, 1. Tim. 4. v. 3. Deinde per Epicureos, qui non ventur ignominiosissime de matrimonio loqui, cujusmodi scommata passim feruntur.

Sed grande id peccatum est. Laus enim & magnificentia opus ejus, Psal. 111. v. 3. Honorifice igitur de eo sentiamus, dantes gloriam Deo, ejusque sanctæ ordinationi nos submisse subjicientes, quia melius est nubere, quam uri, 1. Cor. 7. v. 9.

Id Diabolus non ignorat, ideo multus fastidium connubii movet, ut luntus matrimonii & rei familiaris averterentur, & ita incidant in fornicationem, immunditiam, libidinem, & concupiscentiam pravam, & jacturam *fortunarum & facultatum* faciant, qui enim nutrit scorta perdit substantiam, Prov. 29. v. 3. Perdant *sanitatem*: qui enim se jungit fornicariis, erit temerarius, putredo & vermes hæreditabunt illum, Sir. 19. v. 3. Amittunt *rationem*. Nam fornicatio, & vinum & mustum auferunt cor, Hof. 4. v. 11. Profligant *bonam famam*, Prov. 6. vers. 32. Quin & vitam profundunt, Prov. 7. v. 22. Nec non animæ salutem disperdunt, Fornicatores enim & adulteros judicabit Deus, Hebr. 13. v. 4. Apoc. 21. v. 8. 1. Cor. 6. v. 9.

II. *Intercessionis repudium*. Ubi enim Ma-

ria vinum deficere animadvertit, ne novi nupti ignominiam incurrant, aperit id filio suo, inquiens: Vinum non habent. Verum ille intercessionem ejus non accipit, sed matri durum responsum dat, inquiens: Mulier, quid mihi tecum?

Ira Deus adhuc hodie ratione piorum & fidelium opem suam quandoque differre solet, ut non opituletur, ubi ipsi desiderant: sed relinquit eos in calamitatibus, in angore & dolore, ut in seipfos descendant, & cogitent, quod & Deus aliquamdiu expectare cogatur, dum admonitioni ejus locum relinquamus, & pœnitentiam agamus, ut ipse indicat, Zeph. 3. v. 8. Verum hæc mora commodo nostro inservit, primo *ad nostræ abnegationem*, ne in nobis ipsis, vel alia aliqua creatura confidamus, sed cum Jeremia dicamus: Vere in Domino Deo salus nostra Israel, Jer. 3. v. 23. Deinde *ad fidei probationem*, ut fides nostra multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem & gloriam, & honorem, in revelatione Jesu Christi, 1. Petr. 1. v. 7. qui omnibus dabit secundum opera ipsorum, Apoc. 20. v. 12. Tertio, *ad devotionis excitationem*, non enim saltem petendum, sed & quærendum & pulsandum est, si exaudiri velimus, Matth. 7. v. 7. Tandem, *ad auxilii impetrati commendationem*. Hinc Augustinus: Desiderata diu dulcius obtinentur, cito autem data vilescunt. Sic solet Deus differre exauditionem, ut in posterum cautius mercari discentes, non facile peccato assentiamur, quod omnis mali fons & origo est, Jer. 2. v. 19. sicut Hiskias ex morbo reconvalescens dixit: Leniter incedam per omnes annos meos, super

super amaritudine animæ meæ , Esa. 38. vers. 15.

Interea hoc solatium certum est , quod Deus semper exaudit orationem nostram , si non ad nostram voluntatem , tamen ad nostram utilitatem , Augustino dicente : cogitationes DEI non sunt cogitationes nostræ , Esa. 55. vers. 8. Ideo horas & moras ejus æquo animo expectemus, nec desperemus, si exauditio non statim sequatur.

Spes præstolatur optimum
Tempus Deo promissum :
Non qua futurum gaudium
Id sit die, decisum.
Scit ille tempus optimum,
Nullumque nobis dat malum,
Hæc spes reposta nobis.

III. *Amicorum deliquium.* Quod probat architrachus, qui sine dubio quidam ex sponsi agnatis fuit, quia ipsi munus Promi-
Condi conceditum : attamen adeo suspicax est, ut sponsum in suspicionem trahat, quasi studio deterius vinum in principio apposuerit, nunc vero saturatis generosius propinet: quo ipso tacite quasi invidiam, avaritiam & tenacitatem ejus arguit. Id sponsum surdis auribus præterire oportet, dum innotescat, unde vinum Cos veniat, quodque non sponsum, sed Christus id largitus sit.

Ita adhuc hodie varia præjudicia offerunt se , quibus probi Christiani subjecti esse coguntur. Suspicio enim malus hospes est , & sæpe inimicum fingit , ubi nullus adest , vel de alterius facultatibus & redditibus multa garrat , quorum qui possidet , optimus testis est. Præcipue id

locum habet in censu atque tributis , ubi omnia ad rationes revocantur, & ad amussim exiguntur.

Mordet hoc viros honestos , ubi non modo commiserationem nullam sentiunt : sed & inopiam suam pro divitiis venditari audiunt. Commendent proinde Deo rem suam, qui cordium scrutator est , 1. Reg. 8. v. 39. & scit opera cujuslibet , & ubi habiter, Apoc. 2. 13. qui suo tempore educet quasi lumen justitiam eorum , & judicium eorum , tanquam meridiem , Psal. 37. v. 6.

Quod si igitur & tu ejusmodi amicos habeas, qui magis proditores, quam benefactores tui sunt, & verbo onerosi consolatores, Job. 16. v. 2. cogites velim, non novum hoc esse, & Deo tuo confide : Bonum enim est confidere in Domino, quam confidere in homine, Psal. 118. v. 8. Profecto filii hominum sunt vanitas , filii viti sunt mendacium, Psal. 62. v. 10. Sed Deus noster custodit veritatem in seculum, Psal. 146. v. 6.

Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fuit
I. *Ex Conjugii astimio*, quod Christus ipse eo confirmat, quod cum matre & discipulis in nuptiis Cananæis comperat. Id fecit, ut veteres recte observarunt , primo ideo, ut innueret, conversationes honestas sibi non displicere, nec improbari sibi, si cum viris justis convivemur, in timore Dei, Sir. 7. v. 23. Deinde ideo, ut hoc ipso matrimonium approbet , quod sit *status sanctus*, qui sibi & Patri & Spiritui sancto probeatur. Non enim est bonum hominem esse

esse solum, Gen. 2. v. 8. *Status utilis*, quo Dei Ecclesia & cælum augeatur, & in aliis quoque Statibus utiliter seruiatur. Hæreditas enim Domini, filii: merces fructus ventris. Beatus vir, qui implevit pharetram suam ex ipsis: non confundetur, cum loqueretur cum inimicis suis in porta, Psal. 127. v. 4. seqq. *Status necessarius*, ad vitandam fornicationem, & vagas libidines, quas abominatur Deus, hinc Paulus: Propter fornicationem unusquisque uxorem suam habeat, & unaquæque suum virum habeat, 1. Cor. 7. v. 2.

Tertio idè, quia spiritualem desponsationem cum assumta humana natura, & Ecclesia sponsa hoc ipso delineare voluit. De prima desponsatione ait Johannes: Verbum caro factum est, Joh. 1. v. 14. nempe in utero Virginis, ubi conjuncta sunt duo, Sponsus Verbum, & Sponsa caro, ut Augustinus ait, Et hoc est *ἡμολογημένως μέγα τῆς ἰσοθείας ρυθῆτος*, 1. Tim. 3. 16. in quod & Angeli desiderant prospicere, 1. Petr. 1. v. 12.

De altera desponsatione ipse ait: Desponsabo me tibi in æternum, Ose. 2. v. 19. Et Paulus: *Mysterium magnum est*, dico autem de Christo & Ecclesia, Eph. 5. 32. 33.

Id iterum pro peculiari dilectione & gratia habendum est, Magnum profus erat, quod Rex Ahasverus, qui regnavit super centum viginti septem provincias, orphanam Esther in conjugem sibi adscivit, Esth. 2. v. 9. sed quid hoc respectu ejus, quod æternus Dei Filius, tanquam sponsus nobilissimus, Luc. 19. v. 12. sponsam despectissimam, Psal. 123. v. ult. sponsus formosissimus, Psal. 45. v. 3. sponsam inquinatissimam, Ezech. 16. v. 6. sponsus ditissimus, cui Pater omnia subjecit sub pedibus ejus,

Psal. 8. v. 7. nihil omisso, Hebr. 2. v. 8. sponsam pauperrimam, quæ nihil habet, nisi fuerit ei datum de cælo, Joh. 3. v. 27. sponsus sanctissimus, Dan. 9. v. 24. sponsam improbissimam, quæ vitiiis scatet, & in cujus carne nihil boni habitat, Rom. 7. v. 18. sibi desponsavit, & immobile ejusmodi lalis pactum cum eo inuit, ut ipse dicat: Juravi tibi, & ingressus sum pactum tecum, & facta es mihi, Ezech. 16. v. 8. Et iterum: Montes commovebuntur, & colles loco movebuntur, misericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non movebitur, Esa. 54. v. 10.

Capè hinc solatium, mi Christiane! & dilige conjugem tuam, sicut Christus dilexit Ecclesiam, Eph. 5. v. 25. & certus sis, quod opus facias probatum coram Deo & hominibus, Eccl. 25. v. 1.

II. *Ex opis divina articulo*. Dominus ait ad Mariam: Hora mea nondum venit, Non plene abnuit opem suam Neogamis, sed nondum, ait, quo ipso tacite innuit, tandem in tempore horam auxilii adfuturam, Non enim in sempiternum Dominus repellat, Thren. 3. v. 31. Hora, de qua hic Christus loquitur, est quidem hora tarda, quæ sæpe multos dies, hebdomades, menses & annos differtur, ut lamentandum cum Propheta: Usquequo Domine clamabo, & non exaudies? Habac. 1. v. 2. sed tamen hora certa est, quæ non aufertur. Tob. 3. 22.

Quando aurum satis diu in fornace excoctum est, aurifaber id eximit, projicitque in aquam, refrigerans illud: Eodem modo Deus cum fidelibus suis agit, quando eos satis probabit & purificabit, in furno tribulationis, & invenit illos dignos se, quasi holocausti hostiam accipit, Sap. 3. v. 6.

v.6. & exhilarat eos, pro diebus, quibus eos afflixit, Psal. 90. v. 16.

III. *Ex Christi honorario.* Erant enim ibi lapideæ hydræ sex positæ, secundum purificationem Judæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas, has impleri aqua Jesus iussit, usque ad summum, & procuravit divina sua omnipotentia, ut hæc aqua in vinum nobilissimum transmutatum fuerit. Hoc dono affecit novos nuptos, ut & convivas suos pro dignitate tractare, & sibi potiunculam reservare quoque potuerint.

Hoc præclarum fuit miraculum, ex quo patet, Christum non vacuum apparere, si ad nuptias invitetur, sed plus dare, quam concupiscimus; semitæ enim ejus stillant pinguedinem, Psal. 65. vers. 12.

Minus igitur animum abiciamus si de nobis quoque verum sit: Vinum non habent. Cælestis Elisæus enim vacua vasa affatim replere potest, ut oleo & vino redundant, ut exemplum viduæ Prophetae probat, 2 Reg. 4. v. 5. Id anniversariè adhuc facit, dum nonnunquam benedictionem suam effundit, ut flumen, Gen. 49. v. 22. 26. ut & vasa nonnunquam deficient, & aliorum quoque indigentia consulere possimus, Eph. 4. v. 28.

Præterea non vilibus & vulgaribus donis nos cibatur, sed satiat nos adipe tritici, Pl. 147. v. 14. & flore vini, ut satis laudari nequeat, lætatur enim ad beneficiendum nobis, Jer. 32. v. 41.

Hoc probe notate Dilecti! Habemus omnipotentem Servatorem, qui aquam in vinum commutat novit: Quidni liberave-

rit, si torrentes Belial conturbaverint nos, Psal. 18 v. 5. aut abyssus abyssum invocet ad strepitum canalium suorum, Psal. 42. v. 8. Verbum ejus penetrantissimum, & manus omnipotens realiter nobis concionatur, quod sit cælestis Noah, qui adhuc hodie vineas plantat, Gen. 9. v. 20. & tenue vitium lignum benedictione afficit, ut succum suavissimum proferat, Psal. 104. v. 15. qui lætificat Deum & homines, Jud. 9. v. 13. & verus Melchisedec, qui panem & vinum profert, Gen. 14. v. 18. & cælestis Josephus, qui nobis & nostris in annonæ caritate prospicere potest, Gen. 45. usque dum aliquando nuptiæ agni incipient, Apoc. 19. v. 7. ubi non amplius vinum deficiet: sed bibemus cum Christo novum, in Regno Patris, Matth. 26. n. 29.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quam tribus absolvemus Regulis, quarum

I. *Christum invita.* Id quod Neogami Cananæi probe observarunt, qui Jesum cum discipulis suis vocarunt ad nuptias.

Id adhuc hodie à Neonymphis fieri debet, si in conjugio benedictione & salute frui velint. Christus enim gratiosissimus est conviva, qui non vacuus accedit, sed affert benedictionem suam, qua se invocantes largissime cumulat, hic temporaliter, & ibi in æternum. Merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo, Esa. 62. v. 11. Ubi vero Christus, ibi quoque tota S. Trinitas est. Tres enim sunt, qui testimonium perhibent in cælis, 1. Joh. 5. v. 7.

Deus Pater ejusmodi piorum conjugum

k

gum

gum & corpus & animam largiter curabit, sicut Protoplastos curavit, iisque universum orbem cibarium constituit, Gen. 1. vers. 28.

Deus Filius subventurus est illis, si inopia rei familiaris premit, ut idem de ipsis dicas, quod hic de his nuptiis Evangelista dicit: Vinum non habent: pecuniam non habent: sanitatem non habent. Mutatio enim dexteræ ejus est, Psal. 77. vers. 11.

Deus Spiritus sanctus corda eorum in vera dilectione conjugali combinabit, ut sicut una caro sunt, sic & unum cor, & una anima sint, Actor. 4. vers. 32.

Est enim Spiritus dilectionis, 2. Tim. 1. v. 7. & simul quoque Spiritus veritatis, qui deducet eos in omnem veritatem, si Deum precibus sollicitent, Joh. 16. v. 13. ut etescant in scientia Dei de die in diem, Col. 1. v. 11. & liberis quoque suis præcipiant, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam, ut Abraham fecit, Gen. 18. vers. 19. quæ & instaurabit, confortabit, roborabit, fundabit eos, 1. Petr. 5. v. 10. ut militent bonam militiam, habentes fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. vers. 18. & aliquando reportent finem fidei, salutem animarum, 1. Petr. 1. vers. 9.

In Historiis quidem multæ nuptiarum solennitates inveniuntur, quæ pompose admodum celebratæ sunt.

Verum nauci æstimandæ veniunt, respectu nuptiarum, quarum in hoc Evangelio

mentio injicitur. Hic enim Rex Regum & Dominus Dominantium cum matre beata & discipulis dilectis apparet, quod in tota Scriptura nunquam alias factum legimus, ut non abs re in hæc verba erumpas: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra, Psal. 113. vers. 5.

Quod si igitur vultis, ut Christus in nuptiis vestris appareat Dilecti! piis precibus ipsum invitate, date simul operam humilitati & modestiæ, ne efframini ratione donorum, quæ accepistis à DEO. Libentissime enim habitat cum contrito & humili spiritu, Esa. 57. vers. 15.

II. *Horam expecta.* Christus hic Matri duriusculè responderet: Mulier, inquit, quid mihi tecum, hora mea nondum venit: interim non animum abjicit, sed firmiter credit, quod in tempore vini deficientiæ consulturus sit, modo hora advenit, quam divina ejus providentia constituerit.

O dilecti! sæpe fit, ut nobis Christus in ærumnis constitutis austeram faciam ostendat, simulans devotas nostras preces surda aure se præterire. Verum id non reprimat nos, sed potius horam definitam expectemus. Etiam si moram fecerit Dominus, expecta eum, veniens veniet, & non tardabit, Habac. 2. vers. 3. Speciosa misericordia DEI in tempore tribulationis, quasi nubes pluvie in tempore siccitatis, ait Siracides, cap. 35. vers. 26. Tandem post nubila Phœbus.

bus. Ipse faciet. Mutatio dexteræ Excelli,
Psal. 77. v. 11

3. *Obsequium præsta.* Maria Ministris
dicit, quodcumque vobis dixerit, facite.
Hanc instructionem nobis quoque reli-
quit. In fidei enim rebus non faciendum,
quod nobis recte videtur, sed quod Deus
præcepit, Deut. 12. v. 8. Ideo ipse Deus cæ-
litus mandat: Hic est Filius meus dilectus,
in quo mihi complacui, hunc audite, Matt.
3. vers. 17.

Nos equidem voluntatem DEI in
verbo ejus nobis præscriptam habemus,
ut non ignoremus, quid à nobis fieri
& omitti velit: sed non sufficit hoc. No-
strum est, vitam nostram pro vitili ad ean-
dem componere. Si hæc scitis, beati eri-
tis si feceritis ea, ait ipse Servator, Joh. 13.
vers. 17.

Hoc nisi factum fuerit, damnatio nos-
tra eò major erit in die novissimo. Servus
enim, qui cognovit voluntatem Domini
sui, & non se præparavit, & non fecit
secundum voluntatem ejus, vapulabit mul-
tis, Luc. 12. v. 47.

Imprimis vero nostrum erit, in myste-
riis divinis, in captivitate redigere om-
nem intellectum, in obsequium Christi,
2. Cor. 10. v. 5. nec multum disputare de
modo, sed faciamus quæ Dominus jussit:
cætera sapientiæ, veritati & omnipotentia
ejus commendemus, cum Ezechiele
dicentes: Tu nosti modum Domine, E-
zech. 37. v. 3.

Sane ex hac ipsa ratione illa sunt myste-
ria, ut ratione ea comprehendere non pos-
simus, quod si verò viderentur, non opus
esset, ut crederentur, Augustino scite di-
cente. Beati, qui credunt & non vident,
Joh. 20. v. 29.

Non parum igitur peccant illi, qui
quando quicquam in divinis ratione asse-
qui non possunt, à fide continuo resiliunt,
& ad rationis trutinam appendunt. Sicut
& illi, qui sibi ipsis cultum effingunt juxta
quem Deo servite velint.

Sumus quidem omnes Dei servi & mi-
nistri, creati in Christo Jesu ad bona opera,
ut in iis ambulemus, Eph. 2. v. 10. Habe-
mus autem instructionem nostram, quid
bona opera sint, & quomodo ea fieri de-
beant. Indicabo tibi ò homo, quid sit bo-
num, & quid Dominus requirat à te: Uti-
que facere judicium, & diligere miseri-
cordiam, & humiliter ambulare cum Deo
tuo, Mich. 6. v. 8. Huic Regulae inhæreamus
non declinantes, neque ad dexteram, ne-
que ad sinistram, Esa. 30. v. 21. In Ecclesia
non valet, hoc ego dico, hoc tu dicis, hoc
ille dicit, sed, hoc dicit Dominus, ait Hiero-
nymus. Ita verbis ejus innixi, non conceda-
mus speciosa aliqua glossa ab iis nos ab-
strahi, sic & ille promissionem suam in no-
bis implebit, nobisque ovis suis, qui
vocem ejus audierimus, dabit vitam æter-
nam, Joh. 10. v. 27.

Sit ipsi cum Patre & Spiritu sancto glo-
ria nunc, & in æternum, Amen.